JOSEPHUS
ÆGYPTO
PRÆFECTUS.
TRAGOEDIA.


ACTA
LUDIS SOLENNIBUS
IN REGIO
LUDOVICI MAGNI COLLEGIO
Apud Patres Societatis JESU.

Auctore GABRIELE FRANCISCO LE JAY,
ejuſdem Societatis Sacerdote.

PARISIIS,
Apud Viduam SIMONIS BENARD,
viâ San-Jacobæâ, è regione Collegii
LUDOVICI MAGNI.

M. DC. LXXXXIX.
CUM PERMISSU.

Digitized by Google



ILLUSTRISSIMO VIRO

DOMINO D.

MICHAELI

CHAMILLART,

SUMMO

GALLICI ÆRARII

PRÆFECTO.

P*RÆFECTUM Ægypto toti Joſephum cui potius offeram, quam Tibi,* VIR ILLUSTRISSIME,

quem electum recens ſupremum Ærarii Regii adminiſtrum univerſa Gallia ſibi gratulatur? Illum ſingularis probitas, & rerum fato major prudentia Pharaoni olim commendavit: Te nota jam pridem integritas vitæ, & conſummata quædam ſapientia æquiſſimo rerum æſtimatori LUDOVICO *fecit acceptum. Illi, ut præverteret annonæ caritatem, quæ tum imminebat, rerum in Ægypto ſumma commiſſa eſt; Tibi, ad reſarcienda belli diuturnioris incommoda, ſummi diſpenſatoris in Gallia munus injunctum. Ille nihil habere viſus eſt antiquius, dum Pharaonis glo-*

riam & opes promoveret acrius, quam ut ſaluti etiam publicæ conſuleret; Tu, quanti faceres communem utilitatem ſignificaſti ſatis, cùm profeſſus fueris non ſemel, tam addictum te Regis obſequio fore, ut populorum commodis pro virili parte adlaborares. Sic tibi cum Ægypti Miniſtro conditio par, VIR ILLUSTRISSIME, *niſi hac parte Joſephum etiam ſuperaſti: qui, quod ille non expertus eſt, comitem uſque magnæ virtutis fortunam habueris. Fruere longum hoc dignitatis apice, quem populorum ſuffragio non minùs, quam Principis ipſius judicio me-*

ruiſti. Id tibi publica totius regni vota pollicentur; id & precatur ex animo, qui cæteros inter, uti eſt, ita haberi velit

Tibi dedititiſſimus,

Gabriel Franciscus le Jay,

è Societate Jesu.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

AGnitum à Fratribus Joſephum primò; venditum ab eiſdem, deinde in theatrum dedimus; nunc eumdem ſolutum vinculis, & Ægypto toti præfectum in ſcenam exhibemus.

Hæc verò pars Joſephi hiſtoriæ, etſi non eſt plena teneris illis motibus, qui priores duas commendarunt, non eſt tamen viſa, ſi quid rumoribus credimus, illis inferior: ſive ex argumento ipſo occaſionem nacta eſt, ut præ ſe ferret plus majeſtatis, ſive mutuata ſacris e lit-

teris, uti res ferebat, plurima, ſimplici ac candida rerum geſtarum imitatione placuerit.

Quod ſpectat ad hujus Tragœdiæ argumentum, tale eſt omnino, quale in Hiſtoria ſacra legitur. Pharao Rex Ægypti vidit ſomnia quæ nulli conjectores Ægyptii interpretari potuerunt. Joſephus ortu Hebræus, qui vinctos inter regios diſtinebatur, eadem explicuit coram Rege tam feliciter, ut captus Pharao viri ſolertia, ratuſque eſſe neminem, qui imminens Ægypto malum melius averteret, eum regni totius moderatorem conſtituerit, tradita in uxorem Aſenetha filia Putipharis ſacerdotis Heliopoleos.

Putipharem illum ſacerdotem

Heliopoleos, cujus filiam Aſenetham Joſephus duxit uxorem, non alium eſſe ab eo, qui Joſephum eumdem in Ægypto venditum emerat, prodit cum quibuſdam aliis Hieronymus, ejuſque ultro ſententiæ adhæſimus.

Unum hoc adjecimus præter hiſtoriæ fidem, quod omni ſimilitudine veri non caret; uxorem Putipharis Epheam, dum in Joſephi perniciem fruſtrà incumbit, dolore amentem violentas ſibimet manus intuliſſe.

ACTORES.

JOSEPHUS.

PHARAO,	Rex Ægypti.
PUTIPHAR,	Princeps Militiæ.
APRIES,	Putipharis filius.
PSAMMIS,	Princeps Ariolorum.
AMASIS,	Magiſter Palatii.
RAMESSES,	Princeps Pincernarum.
SETHO,	Princeps Regii carceris.

MILITES.

Scena Memphi, in palatio Pharaonis.

Digitized by Google



Num invenire poterimus talem Virum, qui Spiritu Dei plenus sit? Gen. 41.

ich. Corneille inv. I. Mariette Sculp.

Digitized by Google

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

JOSEPHUS, APRIES.

APRIES.

ACTUM eſt: periclo te niſi actutum eripis,
Joſephe; nil te Matris adverſum graves
Tuetur iras: pertinax odij furit,
Dum peragat, alta mente quod verſat nefas.

JOSEPHUS.

Proh! ſancta pietas! ſcilicet lentas nimis
Huc uſque pœnas dedimus! an nondum furor
Quievit omnis?

APRIES.

Dira lymphatam incitant
Turbantque mentem, nocte quæ media ſopor

Terrificus, atrox monſtra pavitanti obtulit.
Tu viſus olli regio elatus gradu :
Velabat humeros purpura, & frontis decus,
Pretioſa molles vitta cingebat comas.
Aſt ipſa ſacros interim adlabens pedes,
Cienſque gemitum flebilem, & ſe ſe in ſuo
Verſans cruore, triſte ſupplicium dabat.
Hinc, orta noctem vix polo urgebat dies;
Tota, furentis more, bacchatur domo,
Te parricidam teque carnificem vocans.
Ipſe, ipſe luctu conjugis motus pater,
Audire viſus impias ultro preces;
Funeſtum & omen, qua licet, qua non licet,
Prævertere ambit. Proin cape extemplo fugam;
Spes hæc ſalutis una : jam meus eſt labor
Conſulere, Phariis ſoſpes ut cedas plagis.

JOSEPHUS.

Tu magne cæli rector, & mundi arbiter,
Cujus tot inter ſortis adverſas vices
Piam uſque ſenſi rebus in miſeris manum;
An me tueri rurſus, & capiti imminens
Arcere nequeas ipſe, ſi lubeat, malum?
Vel cedere hoſti ſi jubes tandem, ô Deus;

Miſerumne vitæ fragilis impatiens amor,
Mortiſve pavidum vincat imbellis metus?
Abſiſte; curam pone, quam pro me geris,
Amice; vitam nil ego inviſam moror:
Occidere certum eſt.

APRIES.

Imo; cur facilem abnuis,
Deus ipſe vitæ quam tibi pandit viam?
Me me ille ſtimulat, ſentio; hanc pro te injicit
Joſephe mentem: ſequere felicem impetum,
Obſequere amanti.

JOSEPHUS.

Parce: te pietas, amor
Te fallit, Aprie; quam mihi ſuades fugam,
Deus ille ſceleris oſor haud unquam approbet.

APRIES.

Quid ais? Perire lentus inſontes ferat?

JOSEPHUS.

Poſſum perire, fugere non poſſum innocens.

APRIES.

Scelus eſt, iniquam fugere cum poſſis necem?

JOSEPHUS.

Finge obſecutum: fare, quis de me ocyus

Rumor caleret urbe ? quem deinde impiis
Veſana mulier faceret opprobriis modum ?
Hoc illa, credo, ſceleris indicium ambiat,
Quod parta ſonti fuerit effugio ſalus.
Mihi parce labem hanc, oro : ſit miſero ſatis,
Amice, fidei quod agor infractæ reus,
Ne parricidæ nomen infandum adjice.

APRIES.

Ergo ratum eſt perire ? nec amici preces,
Nec te Aſſenetha flectat ? heu quantam ſinu
Plagam ſub alto triſte conſilium feret !
Si nulla gravibus venit ærumnis quies,
Dum ſpes ademptas dulcis hymenæi gemit;
Eheu ! quis ægros, dum peris, animi queat
Sanare luctus ?

JOSEPHUS.

Siſte, vel amicum abjice :
Doluit, abunde eſt : plura ſi rurſum exigas;
Nec amas, nec ultra amare Joſephum ſinis.

APRIES.

O rigida virtus ! .... Fruſtra es : aut vive,
aut mori
Si tam libido cœca, nec amicum argue :

Quid ſancta amoris jura, quid pietas, fides
Joſephe, repetant cardine hoc rerum ſcio.

SCENA SECUNDA.

JOSEPHUS.

QUO rapitur? aut quid conſilî impatiens
ſtruit
Animus amantis? Tu pio capiti, ô Deus,
Ignoſce! memet iſta tempeſtas petit,
Me feriat unum; pectus aſſuetum malis
Didicit ferendo quidquid adverſum eſt, pati.
Etenim inquieti quanta pars vitæ fuit
Secura luctus! vix bene ingratum obtigit
Mortalis ævi munus, inviſus meis
Mutare cogor patrium extorris ſolum,
Turpique cedit blanda libertas jugo.
Tamen inter ipſas humilis obſequii vices,
Nec abeſſe viſus omnis ærumnæ modus.
Nactus benignum mitis imperium viri,
Placidoſque mores, exilî ſortem æquius
Et ſervitutis pondus inviſum tuli.
Dominis placebam; ſed quid ingratam mali

Cauſam caputque recolo? placuiſſem minus
Utinam! Latebras non ego horrendæ ſpecus,
Umbraſque opacæ noctis, & vinclis datas
Gravique laſſas onere doluiſſem manus.
Sed levia querimur; triſte ſupplicium imminet;
Mortemque ſceleri debitam immeritus luo!
Quanquam, quid aïo? priſca quo virtus abit?
Quo retrahit animus? melius ah! melius dolor
Maleſane loquere! ſiccine oblitus tui es,
Joſephe? pudet ah! pœnitet facti, ô Deus!
Tu ſtatue porro quod voles leti genus,
Atrox, cruentum, barbarum, immane, horridum;
Nil deprecor, nil abnuo; hoc pretio juvat
Cupidam obſequendi colere quam repetis fidem.

SCENA TERTIA.

JOSEPHUS, RAMESSES.

RAMESSES.

Loquar? an ſilebo? verba præripuit pudor:
Lacrymæ ſuperſunt, ſi quis eſt veniæ locus,

Joſephe, lacrymas, oro, ſinceri cape
Teſtes doloris, veniam & exorent, ſine.

JOSEPHUS.

Te video! nam quis dulce votorum caput
Miſero redonat? da, precor, dextram oſculer:
Vel, ſi quid ultra liceat, amplexum annue.

RAMESSES.

Tam longa poſt oblivia agnoſcis virum,
Et amare pergis? tale nil auſim nocens
Adhuc precari: juſta tu tantum, obſecro,
Retine parumper odia, dum culpam eluam,
Dum noſtra melius conſtet in amicum fides.

JOSEPHUS.

Quid odia memoras? teſtor æthereas faces,
Imaſque cordis, qui videt latebras, Deum;
Si tantum in iſto pectore admiſſum eſt nefas!

RAMESSES.

Ergo immerentem ſic amas? & dum tui
Oblitus, atro paterer abſtruſum ſpecu
Nil iſta meritum fata, tu noſtri memor
Blandas amoris uſque reddebas vices?
Pudet mei me! vita quid miſerum juvet
Ni par amanti pendere officium queam?

Confide, brevis eſt deinde quæ ſupereſt, mora;
Joſephe; noſtras quiſquis eſt cœlo Deus
Ut ſpes ſecundet, ecce longorum imminet
Finis malorum.

JOSEPHUS.

Proh! mihi qualem occinis
Finem malorum! ſentio, auditum nihil
Luctus recentis, noſtra nec penitus mala
Patuere. Pars, heu! quanta vel amicum fugit!

RAMESSES.

Imo, imo: nil me triſtis ærumnæ latet,
Quam pateris: animus ipſe perſentit ſatis,
Quam juſtus ægro pectori inſideat dolor;
Dum ſcelere ab omni purus ac vitæ integer
Pœnam nocentum crimine alieno exigis:
Dum nemo præſtat, ferre quam virtus opem
Afflicta meruit: quodque curarum caput
Cumulumque ſortis aſperæ extremum reor,
Dum lentam amici quereris ingrati fidem.

JOSEPHUS.

Id quereret? iſtud caderet in amantem probrum?
Ah! ne cruentam tu mihi plagam aſperes,

Quem ſic laceſſis : ſortis adverſum minas
Huc uſque vinci neſcium pectus ſtetit :
Hujuſne laudis tam leve invideas decus ?
Unum hoc, Rameſſe, potius, hoc gravibus ſine:
Dum morior, adſit dulce ſolamen malis,
Blando quod ultra vivere in amico licet.

RAMESSES.

Dum moreris ? ecqua tam repens miſeræ venit
Mortis libido ?

JOSEPHUS.

Putiphar damnat reum,
Sponſæque furiis obſequens mortem imperat.

RAMESSES.

Aſt unde crevit, qui novus ſtimulat furor
Animum impotentis feminæ ? an nondum ſatis
Avidam ultionis Ephea ſatiavit famem ?

JOSEPHUS.

Portenta fingit horrida, inſidias, necem
Queritur parari, meque, detinear licet
Concluſus iſto carcere, auctorem arguit.

RAMESSES.

Ne te iſta pungat cura; quo res ſunt loco,
Joſephe, ab iſto vive ſecurus metu.

JOSEPHUS.

Sic nota mulier, dum furit?

RAMESSES.

Furere ut velit;
Erit, furenti facere qui poſſit modum.

JOSEPHUS.

Vim contra & iras eſſe quis poſſit modus?

RAMESSES.

Nil te morabor: non prius clauſo ruet
Dies Olympo, vincla quam Pharao eximat,
Fractoque redeat priſca libertas jugo.

JOSEPHUS.

Hic nempe Regi ſit labor? vel me ambiat
Triſteſve caſus noſſe?

RAMESSES.

Sed norit brevi,
Ne metue. Vidit Pharao, dum ſtratis jacet,
Simulacra rerum multa, quæ mentem anxiam
Pavidumque varias pectus in partes trahunt.
Totam per urbem quæritur fruſtra ſagax,
Qui ſolvere iſtas augur ambages queat.
Tibi debita uni gloria, ut rerum abdita
Palam futuri fidus interpres canas.

At ecce prodit Setho.

SCENA QUARTA.

JOSEPHUS, RAMESSES, SETHO.

JOSEPHUS.

Quid portas rei,
Amice ?. . . . Frontem triſtis obnubit dolor. . .
Effare, Setho ; . . . . quid ſiles ?

SETHO.

Heu !

JOSEPHUS.

Ingemis ;
Et multa madidas lacryma irrorat genas.
Ne ferre pigeat quidquid abſcondis ſinu :
Non imparatum pectus offendes malis.

SETHO.

Duræ adminiſter ſortis ingratum fero
Tibi mihique nuncium.

JOSEPHUS.

An vitam eripit,
Miſerumque damnat Putiphar leto caput ?
Eloquere.

SETHO.

Tale non quidem imperium tulit.
At te revinctum mole vinclorum gravi
Cœci in profundum carceris trudi jubet,
Graviora forſan juſſa dum ſe ſe explicent.

JOSEPHUS.

Mandata perage: quo voles, ultro ſequor.
Vale, Rameſſe: ſi quid infelix poteſt
Meruiſſe amicus, oro, ſis noſtri memor:
Nomenque vel poſt fata victurum excipe.

RAMESSES.

Largire, Setho, perbrevem, obteſtor, moram.

SETHO.

Ad Joſephum. Utinam liceret! Quandiu arbitrium penes
Mollire quas tu pateris ærumnas, fuit;
Dic ipſe teſtis, ſi quid impoſtum doles,
Quod facere pietas poterat odioſum minus.
Nunc triſtia urgent juſſa.

JOSEPHUS.

Nil querimur; favor
Impenſus, omnem ſuſtulit votis locum.
Vel, ſi quid ultra reſtat optandum, pares
Deus rependat ipſe, quas nequeo, vices.
Egreditur. Eamus.

RAMESSES.

Aſt hoc, Setho, ne ſaltem abnue:
Statuere ſi quid Putiphar gravius velit;
Duraque plecti morte Joſephum imperet,
Tu parce iniqua protinus juſſa exequi;
Sed innocenti falle tantiſper mora
Furentis iras. Interim ad Regem advolo:
Et dum recenti ſomnio agitatus calet,
Quid augurando poſſit Hebræus, loquar.

Finis Actûs primi.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

PHARAO, PUTIPHAR.

PHARAO.

ESTO: nocentem plecte, ſi tantum impius
Audere potis eſt; non ego inviſum ſcelus
Fovere, pluſquam deceat indulgens velim.

PUTIPHAR.

Utinam relinquat ille dubitandi locum!
At nota fraus, patuere crudeles doli;
Quos certa ni fors ſigna monſtraſſent Deûm,
Lux hæc peractum, credo, vidiſſet nefas.

PHARAO.

Gratare ſuperis: ſalva res: pœnas luet
Quas meruit hoſtis: interim Regem adjuva;
Juſtoſque diſce qui premunt animum metus.

PUTIPHAR.

Iſta beatum ſorte Putipharem nimis,
Navare ſi quod Principi obſequium queat!
Eloquere; ad omne promptus imperium advolo.

PHARAO.

Defeſſa placidus membra dum laxat ſopor,
Curiſque liber animus irriguam excipit
Ultro quietem, dira ſopitos cient
Portenta ſenſus.

PUTIPHAR.

Sæpe fallaces amat
Objicere larvas ſomnus, & mentem horridis
Verſare monſtris, orta quæ pellit dies,
Simul ac fugatis blanda lux tenebris redit.

PHARAO.

Omitte: regnis triſte neſcio quid canunt,
Quæ viſa ſomnus nocte concubia obtulit:
Feralis adeo penitus attonitæ ſtetit,
Imago menti!

PUTIPHAR.

Si quid adverſum Dei
Minentur, iſtud protinus faciet palam

Pſammis peritus augur ; ac ſiquidem Deos
Placare liceat, fidus interpres dabit.

PHARAO.

Sic vertat utinam ! nunc ego opperior virum ;
Unaque quotquot augures Memphim incolunt.

SCENA SECUNDA.

PHARAO, PUTIPHAR, PSAMMIS, AMASIS, RAMESSES, TURBA DIVINORUM.

AMASIS.

Rex vive: præſto eſt Pſammis & Vatum cohors,
Qui ſomniorum pandere arcanum ſolent.

PHARAO.

Bene eſt Amaſi ; præcipe huc portent gradum.
Et vos adeſte pariter, ac ſi res feret,
Veſtris, amici, facite conſiliis locum.

PSAMMIS.

Salvere Vatum turba Pharaonem jubet,
Ultroque faciles optat æternum Deos.

PHARAO.

PHARAO.

Dilecta ſuperis Turba, tu Phariæ decus;
Rebuſque dubiis Pſammi tutamen plagæ;
Si quando veſtram ſenſit Ægyptus manum;
Nunc repeto ſolitam cardine hoc rerum fidem.

PSAMMIS.

Si qua valemus arte, tu tantum impera,
Rex magne; noſtrum eſt obſequi.

PHARAO.

Hic ſenſus placet:
Nunc ergo mentem quam graves curæ exedant
Accipite. Medii parte jam ſtabat poli
Nox acta, meque placida mulcebat quies;
Cum dira ſpecies ſe mihi attonito exhibet.
Ripa in virente, lentus ubi Nilus fluit;
Mihi videbar ſtratus agreſti toro.
En ſeptem ab uno flumine emergunt boves;
Pingues, opimæ, tenſa queis belle cutis,
Et lacte turgens uber addebat decus.
Mora nulla ripas impetu exſuperant levi,
Et mollia inter paſcua exſatiant famem.

AMASIS.

Nihil hæc ſiniſtri viſa portendunt mali.

PHARAO.

Utinam hic quieſſent! reliqua narrantem, precor,
Excipite ſtudiis paribus. Hæc inter boum
Par numerus eodem viſus exire alveo:
Aſt heu! priori forma quam ſimilis parum!
Horrenda macies, ſqualidus cunctas color
Deformat; artus ægra vix operit cutis.
Fruſtra virentes ore jejuno vorant
Herbas, ſuoque gramine exſpoliant agros;
Quin & furentes dente peſtifero irruunt
Alvoque craſſas intima condunt boves.
Nec inde macris redditus membris vigor;
Avidove pulſa corpore exceſſit fames.
Stupui, pavorque protinus ſomnum expulit.

RAMESSES.

Haud iſta certis monſtra portentis vacant,
Rex magne.

PHARAO.

Somnus palpebris rurſum incidens,
Aliud repente ſomnium pavido obtulit.
Vidi feracem ditis è terræ ſinu
Prodire culmum; cujus uno in caudice
Septena ſeges & fruge matura gravis

Flavum per auras ſpica jactabat decus.
Tam læta ſpecies viſa ſollicitam prius
Recreare mentem; donec incuſſit novos
Animis priori ſimile portentum metus.
Nam culmus alter arido exurgens ſolo,
Spicas inanes ſeptem & exeſas ſitu
Squalente ſtipulas caudice ab inerti extulit.
At ecce quiddam triſtius pavidum occupat:
Steriles avenæ corruunt ſegetem in bonam,
Paſtæque quidquid frugis ac ſucci fuit,
Nec copiam inde, nec decus majus ferunt.
Hæc inter iterum ſomnus ex oculis fugit.
Nunc ergo pectus, Pſammi, fecundum excute,
Et iſta mihi quid monſtra vel regnis canant,
Augur reclude .... Quid ſiles? . . unde hic ſtupor? . . .
Eloquere; nil te pigeat, aut metuas nihil,
Non imparatum pectus ærumnis gero.

PSAMMIS.

Quæ viſa narras ſomnia, obſcuris adhuc
Tenebris jacent obducta; da ſpatium breve,
Rex magne, donec lucis exſurgat jubar,
Et nocte pulſa melior aſpiret dies.

PHARAO.

Et vos ſiletis ? . . . Nemo reſponſum dabit ?
Animumque curis gravibus implicitum eximet?

PSAMMIS.

Si tacita juſſos lingua non reddit ſonos ;
Dolemus ; at tu parce mirari tamen :
Inſolita poſcunt monſtra meditandi locum.

PHARAO.

Ite ergo celeres , obſecro ; & ſolito acrius
Excutite , quales viſa Nilicolis ferant
Portenta caſus. Neſcit impatiens moras
Animus , & ante quam ruens pelago dies
Occulta retegat aſtra , reſponſum peto.

PSAMMIS.

Confide , Princeps ; ſi quis eſt cœlo Deus ,
Æquas piorum facilis excipiet preces.

SCENA TERTIA

PHARAO , PUTIPHAR , RAMESSES, AMASIS.

PHARAO.

PRo n!quantus imo pectore increſcit pavor!
Variaſque , amici , patior incertus vices !

AMASIS.

Jam certa reddet fidus interpres Deûm
Reſponſa; & ægris afferet curis modum.

PHARAO.

Abſiſte; ſi quis rebus in noſtris labor
Superum adforet; jam cuncta feciſſent palam,
Quæ tacita pavidos, dum latent, geminant
metus.

RAMESSES.

Ut pertinaces, quotquot Ægyptus colit,
Rex magne, ſuperi ferre reſponſum negent,
Alia requiri poſſit arcanum via.

PHARAO.

Quid ais, Rameſſe? quis tibi talem injicit,
Datam vel unde ſpem facis?

RAMESSES.

Certam fidem
Præſtare poſſum.

PHARAO.

Projice ambages procul;
Et aperta profer.

RAMESSES.

Pareo: aſt unum prius

Precor, ut remotis arbitris liceat loqui.

PHARAO.

Secedite ambo : propius hic ſaxis tamen
Amaſi, ut adſis.

PUTIPHAR.

Quam placet pœnam luat
Hebræus ?

PHARAO.

Hoc tu juris ac recti arbiter
Decerne, nil peccabit iratus dolor.

SCENA QUARTA.

PHARAO, RAMESSES.

PHARAO.

AGE ergo : ſi qua parte ſollicitam potes
Recreare mentem, loquere. Nec talem abnue
Quam poſcit hodie Pharao vel ſupplex opem.

RAMESSES.

Regnas : precari deſine : imperium exequar :
At patere, ſiquid poſtulem rurſum dari :

PHARAO.

Effare.

RAMESSES.

Leto plectere Hebræum parat
Putiphar, & ipſe facinus inviſum approbas.

PHARAO.

Sic eſt: nocentem plecto, ſceleratum, impium.

RAMESSES.

Iſthæc refutem cuncta, ſi tempus ſinat;
Sceleſtus at ſit, perfidus, nequam, impius:
Tamen furentis reprime tantiſper manum;
Inducias, Rex magne, non longas peto.

PHARAO.

Quæ te, Rameſſe, cura diverſum rapit?

RAMESSES.

Hinc certa, ſi qua eſt, rebus in dubiis ſalus;
Vel nulla veniet:

PHARAO.

En tibi morem geram;
Eſt hic Amaſis?

SCENA QUINTA.

PHARAO, RAMESSES, AMASIS.

AMASIS.

Ecce.

PHARAO.

Putipharem pete,
Et juſſa defer iſta : in Hebræum veto,
Severus ultor ante ne portet manus,
Imperia ſe ſe noſtra quam rurſum explicent.

AMASIS.

Nil moror, ad omne promptus obſequium advolo.

SCENA SEXTA.

PHARAO, RAMESSES.

PHARAO.

AN reſtat aliud deinde quod factum velis ?

RAMESSES.

Nihil ; vel ultra ſiquid optandum ; peto
Placida benignus aure narrantem audias.

PHARAO.

PHARAO.

Et hoc, Rameſſe, jam tibi impenſum puta:
Eloquere porro.

RAMESSES.

Quod jubes, ultro exequor.
Me juſta Regis ira tenebroſo in ſpecu
Mea fata meritum, & mole conſtrictum gravi
Tenebat: aderat ſortis ejuſdem comes,
Cui regiorum cura piſtorum fuit;
Cum varia utrumque monſtra ſopitum excitant;
Miſeroque plenas ingerunt curas metu.
Hebræus ille, cujus immeritum in caput
Juratus odio Putiphar tanto furit,
Pœnas & ipſe carcere in eodem dabat.
Nos, ſive tacito fervet impatiens ſinu,
Vulgatus affert ſive lenimen dolor,
Narramus olli ſomnium: exorſus prior,
Sic ipſe cordis retego ſollicitos metus.
Dum nocte media blanda ſopitos quies
Mulceret artus, vitis en ſe ſe objicit;
Triplicemque ab uno ſtipite in ramum ferax
Propago ſurgit: protinus multas recens;

Tenerque palmes undique in gemmas tumet ;
Mox gemma florem parturit : flores novos
Matura ſequitur uva , dextramque ocyus
Mirantis implet. Regium ex auro ſcyphum
Tenebat inde læva : tum gravidas mihi
Videbar uvas premere. Dum plenis fluit
Hinc inde rivis in ſcyphum expreſſus liquor,
Mora nulla pateram de mea excepit manu ,
Hauſitque totam Pharao ; dein oculis ſopor
Exceſſit. Hîc me lætus & blandum intuens
Joſephus ; (iſto nomine Hebræum vocant)
Gratare Superis , inquit , & ſortis cape
Placidum faventis omen. Ubi pulſis vehet
Aurora tenebris tertium mundo diem ,
Tibi vincla Pharao ſolvet , & veteris memor
Obſequii eidem redditum officio dabit.
Hæc ſomniantem ſors manet : tales tibi
Propago vitis terna deſignat vices.
Hæc ille fatus , ſiluit ; attonitus ſteti ,
Mixtuſque mentem gaudio invaſit ſtupor.

PHARAO.

Quid ſomniarat alter ?

RAMESSES.

Hic ductus pari
Fiducia, ultro talibus viſum expedit
Fatale verbis. Triplici ſenſi caput
Calatho gravatum; medius elatus ſuper
Geminos minores, regia plenus dape,
Quamcumque norunt facere piſtores, erat.
Leves per auras interim erumpunt aves,
Avidoque poſitos ore depaſcunt cibos.
Nec plura. Triſte ſomnium exclamans, ait
Joſephus! actum eſt: tertio ulterius die
Vixiſſe miſero non licet. Vitam auferet,
Avibuſque Pharao corpus extinctum dabit.
Nec certa veris abfuit dictis fides.
Fatalis oritur illa lux; erat hic tibi
Natalis, & feſtivus Ægypto dies.
Noſtri miſertus priſtinum me me in gradum
Revocas, ab alta ſocius exſpirat cruce.

PHARAO.

Et noſtra ſpero ſomnia interpres bonus
Reſolvet.

RAMESSES.

Alto præditum ingenio virum,
Supraque vulgus ſapere qui norit, ſcies,
Rex magne:

PHARAO.

Siſte hunc ergo præſentem ocyus;
Sed ante fœdum carceris ponat ſitum,
Et, quos dabat mors certa, dediſcat metus.

Finis Actus ſecundi.

Digitized by Google

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

PUTIPHAR.

QUID eſſe credam ? juſſa quò ſpectant nova ?
Mutatus unde Pharao ? cur meritum in caput
Quod ſanxit ipſe, mortis edictum abrogat ?
Ergò paratam ſontis in pœnas manum
Impune vitet perfidus ? probrum domus
Infame, ſegnis interim & inultus feram ?
Ad quæ reſervor ? heu mihi quantum fremet
Irata merito ſponſa, dum trepidas modo
Allapſus aures rumor inopinam opprimet !
Pharaonem adibo rurſus, & multa prece
Inſtabo, ut omnem penitus abrumpi moram,
Suoque ſontem cadere ſupplicio ſinat .....
At quò citato natus adproperat gradu ?

SCENA SECUNDA.

PUTIPHAR, APRIES.

APRIES.

EN advolutum genibus, & multo pedes
Fletu rigantem cernis . . . . Ah! ſi quid meum
Tibi dulce, genitor, ſi quid obſequio poteſt
Meruiſſe longo Natus, huc animum adjice,
Facilemque precibus pande ſupplicibus viam.

PUTIPHAR.

Aſſurge: quis te, Nate, ſollicitat labor?
Cupidum parentem nactus & amantem tui es;
Eloquere tantum.

APRIES.

Deſine irarum, Pater;
Et, quem cruentæ deſtinas ſontem neci,
Tu facilis, olli veniam ut exorem, ſine.

PUTIPHAR.

Quò verba tendunt iſta? quem ſontem canis?

APRIES.

Ni flecteris, mi genitor, infelix perit
Joſephus.

PUTIPHAR.

Hæc te cura ſollicitum coquit ?
Huic tu laborem pariter & amorem bonus
Impendis ? & te, Nate, nil facti pudet
Pigetque ?

APRIES.

Nam cur pigeat ? an ſcelus eſt, Pater,
Rerum in ſupremo cardine afflictis opem,
Ultroque amicam ferre, cùm poſſis, manum ?

PUTIPHAR.

I, perge; labem patriæ ac peſtem domus
Tutare; matrem contra & adverſum patrem,
Te proditoris, gnate, patronum exhibe.

APRIES.

Quò te ultionis, pater, ſi dicam, impotens
Rapit libido, genitor ? an nondum ſatis
Viſus piaſſe, ſi quod admiſit nefas,
Joſephus; ex quo carceris tetri ſitu
Marceſcit ? heu ! quid perſequi ulterius juvat,
Quem ſqualor atræ noctis & ſævus dolor

Jam jam peredit ? Pone vindictæ modum ;
Miſereſce, genitor... Rurſus advolvor, pedes,
Et amica prenſo genua : da veniam, Pater ;
Hoc gnatus, hoc precatur infelix ſoror....
Proh ! quanta luctus obruet miſeram ſeges,
Quando cruentam norit ad mortem rapi,
Quem per te amare potuit, & ſponſum quoque
Sibi polliceri !

PUTIPHAR.

Perfido impenſus favor,
Amorque : ſenſi ; ſerius ſenſi tamen !
Quis tenuit, heu ! me tandiu incautum ſtupor,
Tacitumve pietas ficta diſſimulans ſcelus ?
Jam crede fronti ; vultus aut faciat fidem.

APRIES.

Ignoſce, genitor, forſan infelix magis
Potuit videri, quam nocens.

PUTIPHAR.

At ſi innocens ;
Factique turpis nomine Hebræus vacat ;
Quis erit nocens, amabo ? Ten' iſthæc loqui,
Vel ſapere ? ... Procul hinc apage maleſanas
preces ;

Ratum eſt, peribit ; ne quid incaſſum adjice:
Abſcede, vel patrem time.

APRIES.

Heu me ! dum loquor,
Jam res peracta, video : jam pœnas dedit.
Etiamne verbis ludere ambiguis amas ?
Simulata remove dicta ; Joſephus perît,
Vacuus patenſque carcer hoc loquitur ſatis.

PUTIPHAR.

Vacuus patenſque carcer ?...Hoc verum rear,
O gnate ? nihil hic fingis ?

APRIES.

Hoc verum nimis,
Dilecte genitor.

PUTIPHAR.

Ergo devotam neci
Mihique dudum victimam è manibus rapi
Impune patiar ? Ecquis infandum nefas
Aggreſſus ?...Ibo, nil moror : quiſquis ſcelus
Patrarit, aut qui ſceleris extiterit comes,
Sit amicus ille, ſanguine aut natus meo,
Per aſtra juro, vindicem agnoſcet manum.

SCENA TERTIA.

APRIES.

NAm quò parentem rapuit immanis furor?
Actum eſt, periſti; nulla jam ſupereſt ſalus,*
Joſephe! ſed ubi es? quis habet abſtruſum
locus?
Quò te requiram?...Nil patris retinent minæ,
Nil vincla terrent; mors mihi in votis erit,
Dum morte noſtra vivere incolumis queas.
Eamus.... Omnes perſequi latebras juvat...
Amice, quæ te cumque ſors tandem manet,
Vixiſſe tecum dabitur, aut tecum mori.
Et tu piorum tutor ac vindex Deus,
Ades, & amantis, oro, conſiliis fave....
*Quid video, Superi?..Fallit in cautum ſopor,
Vigilemne larva ludit? huc flectit gradum
Joſephus?... ipſe eſt....

** Accedentem Joſephū videt.*

SCENA QUARTA.

JOSEPHUS, APRIES, RAMESSES.

APRIES.

Tene, proh! Superum fidem!
Aſpicio? qualis, quamque mutatus redis,
Joſephe! Pectus involem in amicum ſine.
Nam quis mihi te ſervat incolumem Deus?
Te, quem cruenta morte per ſummum nefas
Raptum querebar?

JOSEPHUS.

Fata quod vici aſpera,
Vitæ ſuperſtes, Aprie; hoc totum refer
Munus Rameſſi; vinculis ſolvit manus,
Triſteſque pepulit capite proſcripto vices.

RAMESSES.

Cur iſta memoras? parce; debueram prius
Inſontis ultro dura miſeratus mala,
Joſephe, gravibus ponere ærumnis modum.

JOSEPHUS.

Matura ſemper, certa ſi veniat, ſalus.

RAMESSES.

Ah ! ſi Rameſſis vel fidem ſeram approbas ;
Unum hoc rependas, obſecro; æternum ut velis
Obliterari veteris offenſæ probrum.

JOSEPHUS.

Amice, fido pectori nunquam excidet
Hodierna facti gratia. Hic reſtat labor,
Hæc cura ſupereſt ; forte ſi gratum accidat,
Quod Principi jam ferre reſponſum paro.

RAMESSES.

Confide : quid tu noris, expertus ſcio :
Obſcura non eſt ſomnia ut quiſquam explicet,
Aut res futuras melior interpres canat.

JOSEPHUS.

Hæc poſſe, Regum corda quæ flectant, loqui;
Tam grande vires ſuperat humanas opus.
Deus ille, rerum pariter atque hominum ſator,
Meliore regum corda qui finxit luto,
Hic novit unus parte qua vinci queant ;
Quæ blanda fandi ratio, quis dexter modus,
Quocumque placuit, vel reluctantes trahat.

APRIES.

At ipſe prodit Pharao.

JOSEPHUS.

Qui potes, ô Deus,
Infunde labris gratiam, & linguam erudi.

SCENA QUINTA.

PHARAO, AMASIS, JOSEPHUS, RAMESSES, APRIES.

RAMESSES.

Quod imperaſti, magne Rex, coram hic adeſt
Hebræus ille, cujus ingenium ſagax
Et mens futuri præſcia abſtruſum eruet,
Implexa quidquid ſomnia occultum tegunt.

PHARAO.

Accede.

JOSEPHUS.

Sacros liceat amplecti pedes,
Orbique Phario colere venerandum caput.

PHARAO.

Omitte inanes fragilis obſequii notas;

Alio probanda nunc mihi officio fides,
Et animus ; ægrum quantus exſtimulet pavor
Fodicetque pectus ; jam, reor, notum id ſatis.
Tu, ſi quam, amabo, cardine hoc rerum potes,
Affer medelam.

JOSEPHUS.

Quod jubes, ultro exequor,
Felix & iſto ſi meam obſequio fidem
Regi approbare liceat !

PHARAO.

Hoc ſenſu places ;
Nunc diſce, quidquid nocte concubia ſopor
Dederit videndum.

JOSEPHUS.

Nil opus : didici omnia,
Auguſte Princeps ; nec erit hic ingens labor,
Quid iſta regnis viſa portendat, loqui.

PHARAO.

Fare ergo.

SCENA SEXTA.

PHARAO, AMASIS, JOSEPHUS, RAMESSES, APRIES, MILES.

MILES.

Pſammis, magne Rex, aditum petit.

PHARAO.

Tandemne faciles augur invenit Deos?

MILES.

Novine portet quidpiam, ignotum quidem;
At multa ſecum tacitus & triſtis putat.

RAMESSES.

Quid deinde, Princeps, alius interpres juvet;
Vulgare cuncta ſi palam Hebræus queat?

JOSEPHUS.

Imo, imo; ſi quid forſan adſportet, jube,
Rex magne, totum id Pſammis expediat prior.
Non me impotentem degener livor quatit,
Nec quæ feram reſponſa, rivalem timent.

PHARAO.

Bene eſt: pateſcat aditus.

SCENA SEPTIMA.

PHARAO, JOSEPHUS, AMASIS, RAMESSES, APRIES, PSAMMIS, MILITES.

AMASIS *Pſammim intuens accedentem.*

Heu! quantus ſedet
In ore luctus! quantus in oculis ſtupor!

PHARAO.

Peracta rite ſacra? ſolennes bene
Deûm per aras ivit effuſus cruor?
Quis ille triſtes pallor inceſſit genas?
Nobiſne Superi dira minitantur mala?
Eloquere; procul & pelle degeneres metus.

PSAMMIS.

Et pejus aliquid occinunt Superi; ſilent.

PHARAO.

Verumne?

PSAMMIS.

Fruſtra ſupplici inſtitimus prece,
Pecu-

Pecudumve largos ſanguis in rivos iit;
Noſtrum obſtinati, credo, in exitium ſilent.

JOSEPHUS.

At ille, quem nos colimus, Abrahamidum
genus,
Humana placido fata qui nutu regit;
Ille, ille terris unus ac cælo Deus,
Rex magne, non ſilebit! En melior tuas
Gentiſque Phariæ ſponte miſeratus vices,
Futura pandit ante quæ caveas mala.
Nunc diſce tua quid ſomnia Iſiacis canant.
Noctis per umbram quas ſopor ſeptem obtulit
Virentia inter paſcua errantes boves,
(Ubi multa Nilo ſtagnat undanti palus)
Pingues, opimas, tenſa queis belle cutis
Nitidos per artus dederat inſolitum decus;
Et quas in uno caudice & numero pari
Vidiſſe ariſtas contigit, tumidas, graves,
Multaque plenas fruge; diverſum putes
Variumque forte ſomnium; aſt unum eſt
tamen,
Idemque fati monſtrat Ægypto genus.
Anni feraces ſcilicet ſeptem imminent;

Per quos ubique, Pharia qua tellus patet,
Fecunda meſſis ubere erumpet ſolo,
Et cuncta vincet horrea exundans ſeges.

PHARAO.

Veneremur omen! Tuque jam grates cape;
Tam læta quiſquis tempora efficies, Deus.
At reliqua terrent viſa.

JOSEPHUS.

Nec fruſtra times,
Rex magne: ſeptem deinde quas ſomnus boves
Objecit, ægras, horrido macras ſitu;
Queis nec priorum pingue compreſſit famem,
Fœdum nec ulla parte ſqualorem abſtulit;
Hæc monſtra ſeptem ſterilis annonæ indicant
Annos adeſſe pariter. Huc ſeptem quoque
Stipulas inanes, frugis expertes bonæ,
Rubigo quas peredit infelix, refer.

PHARAO.

Ecquando triſte veniet Ægypto malum,
Joſephe?

JOSEPHUS.

Poſtquam læta ſeptenos ſeges

Duratit annos, & ſuis populos bonis
Ditarit; inde peſtilens totidem lues
Regnabit annis: culta nil tellus dabit,
Sed late inerti fœda torpebit ſitu.
Hinc dira, veteri fruge conſumpta, fames
Urbes in omnes ibit; & Pharias brevi
Populata, poſitas perdet ulterius plagas.

PHARAO.

Ah! video, non hæc lævus interpres canis!
An nullus aderit gravibus ærumnis modus?

JOSEPHUS.

Et hac amicum parte, quem veneror, Deum
Probabis; iſtud noſſe qui docuit malum,
Idem & medelam ferre præſentem poteſt;
Et faciet.

PHARAO.

Itane eſt?

JOSEPHUS.

Spondeo.

PHARAO.

O lætas vices!
O me beatum hac ſorte, qua potui miſer.

Magis videri ! … Perge felicem nimis
Ultra beare Principem.

JOSEPHUS.

Imperium exequor,
Rex magne; paulum ſed remotis arbitris,
Niſi hoc gravabit, pauca, quæ reſtant, loquar.

PHARAO.

Succede mecum.

PSAMMIS ſeorſum.

Sic mihi palmam auferat
Alienus idem & vinctus!

PHARAO.

At quanta decet
Mercede, dignam ſorte meliori fidem
Penſare?

JOSEPHUS.

Miſero ſi quid impenſum voles,
Unum hoc precabor, ſuſtine ultricem manum,
Purgare crimen donec objectum queam.

PHARAO,

Confide melius; ſi quid offenſus dolet

Me, me rogante Putiphar cunctas volens
Remittet iras... Interim hæc patri refer
Aprie; ſtatimque portet huc greſſum, mone.

APRIES.

Haud ulla, Princeps, lætius juſſa exequar.

Finis Actûs tertii.

ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

PUTIPHAR, APRIES.

PUTIPHAR.

SIC te obſequendi, Nate, ſollicitum probas?
Sic utriuſque, degener, pietas movet:
Et amor parentis?

APRIES.

Nam quid immeritum arguis?
Vel heu! quid egi? Tun' mihi ſceleri imputes,
Dilecte genitor, Regis imperium exequi?

PUTIPHAR.

Etiamne miſerum, perfide, illudas patrem;
Luctuſque noſtros fronte tam læta aſperes?

Te vultus ille prodit ; & ſenſus male,
Nondum eruditus fallere, arcanos premis.

APRIES.

Fruſtra latentes ore mentito velim
Simulare ſenſus : proximæ ereptum neci,
Meliora amicum fata dum cumulant bonis,
Men' eſſe triſtem deceat ?

PUTIPHAR.

Et amare hunc decet,
Quem genitor odit ?

APRIES.

Et tamen per te hic amor,
Scis ipſe, noſtro juſſus increvit ſinu,
Nec amando patrem piguit auctorem ſequi.

PUTIPHAR.

Amare fidum licuit, infidum haud licet.

APRIES.

Quid vetera rurſus odia perſequeris pater ?
Abſiſte tandem : patere ut irarum modus
Sit aliquis... Iterum pronus advolvor pedes ;
Et amica prenſo genua... Non ego te, ut reo,
Quod fecit ille ſceleris, ignoſcas, precor,
Sit perduellis, impius, nefarius,

Merituſque, capiti quidquid inviſo voves;
Nil obſto: tua me cauſa ſollicitum facit,
Dilecte genitor. Namquid iratus licet
Jam promovebis? Perdere hunc ſperes virum?
Servare quem Rex ſtatuit, & pactus fidem
Quoſcumque tutum fecit adverſum metus?
Tam rite partes augur implevit ſuas!
Quin & per Aulam rumor hic totam calet;
Quod invidendo poſtmodum ſtabit gradu
Joſephus, unde ſpernere hoſtiles minas,
Ultorque veteres plectere offenſas queat.
Proin oro, ne quid durius pecces cave;
Placare potius, genitor, & quam Rex petit,
Ultro volenſque ſupplici veniam annue.

PUTIPHAR.

Ingrata ſoboles & patrem erudiet, reor,
Et ſaniori regere conſilio volet?
Ah! pervicacem tu mihi linguam preme,
Et abominandum ſubtrahe aſpectum ocyus.
Quid me agere deceat, dure, proviſum eſt
ſatis;
Jurata ſi non odia Joſephum queant
Invadere, in te juſtus erumpet furor.

SCENA II.

SCENA SECUNDA.

PUTIPHAR.

AH ! video ! nam quid ipſe diſſimulem meos
Mihi dolores ? blanda quæſitæ perit
Spes ultionis ! hoſtis eluſit dolos ,
Nec deinde ſortis metuet adverſæ vices ,
Principis in umbra tutus ! . . . Aſt Regis favor
Si forte primos tollat ad honores virum ;
Veteres inultus , credis , offenſas feret ,
Aut non pares tentabit in noſtrum caput
Regerere pœnas ? Ecquis oblatam abnuat ,
Impune quiſquis capere vindictam poteſt ?
Fatum anteverte , dum licet : ſatius malum
Feciſſe , idem quam ferre : quà telo patet ,
Aggredere pectus : ruere ſi ſolus nequit ,
Niſi ruinæ pariter accedas comes ,
Bene eſt, ruemus ambo... Quid loqueris tamen?
Vel unde facinus dextra ſceleratum inchoet ?
Adeſte , ſuperi vindices , & opem date !
Nec ultione vacuus hic abeat dies.

SCENA TERTIA.

AMASIS, PUTIPHAR,

AMASIS.

NAM quæ latebra te mihi abſtruſum tegit,
Amice? Tota jam diu impatiens vagor
Te te requirens regia.

PUTIPHAR.

Ah! noſter, ſine
In gremio, Amaſi, ſe tuo exoneret dolor,
Petatque gravibus inde ſolamen malis!

AMASIS.

Quid quereris? unde luctus hic frontem obſidet,
Seditque in ore pallor?

PUTIPHAR.

Hoc etiam rogas?
Dum me ſuperbus hoſtis illudit palam,
Et capite dignam perfido mortem effugit?

AMASIS.

Avidam ultionis ſiſte tantiſper ſitim,
Amice; cura gravior utrique imminet,
Promptam & periclo poſcit inſtanti manum.
Ille ipſe, quem tu debitæ ereptum neci
Doles, amice; ni ſtatim objicimus moras,
Pharaonis auctus gratia, & fatis tumens
Nimium ſecundis, ecce molitur gradum,
Elatus unde, Pharia quot Proceres habet,
Summoveat aula.

PUTIPHAR.

Perfidus tantum audeat?

AMASIS.

Hac ſpe ſceleſtus, ſi qua rumorum fides,
Tota futuram ſparſit Ægypto famem,
Notum & medendi jactat exitio modum.
Ipſe, ipſe Pharao ſpiritus tales facit,
Dum ſomniorum victus ingenti metu
Admittit ultro, quidquid interpres canit;
Dubiiſque certam præſtat in monſtris fidem.
Fruſtra ergo cupidum rurſus in cladem viri
Animum obſtinaris; cede, dum tempus petit,
Patienſque, veniam Pharao ut exoret, ſine.

At forte, ſi quid Regis impenſus favor,
Quod obeſſe nobis poſſit, ulterius paret,
Prohibere noſtrum eſt.

PUTIPHAR.

Ne time: hortatu nihil
Indigeo: vel me ſana ſuadentem audiet,
Rerumque habenis hoſpitem inviſum procul
Arcebit; aut ſi renuat, obſeſſam undique
Pharao videbit regiam, & per me excita,
Immane tota Memphis inhibebit nefas.

AMASIS.

Nec ipſe mihimet deero: me juvenum manus
Nutus ad omnes prompta, quo ſignum feram,
Ultro ſequetur. Summus antiſtes Deûm
Quo teſte, quo dolente Joſephus dedit
Reſponſa, noſtras Pſammis in partes iit.
Haud ille inultum, crede, patietur ſcelus.
Jam patria temni auguria conqueſtus palam,
Et læſa Superum jura, terribiles minas
Intentat... Atenim crepuit à rege oſtium...
Subit ipſe... Partes ſedulo impoſtas agat
Uterque noſtrum....

SCENA QUARTA.

PHARAO, PUTIPHAR, AMASIS.

PHARAO.

Ten' mihi facilem reat;
Nec aure ſurda Regis excipias preces,
O grande Pharii, Putiphar, columen ſoli.

PUTIPHAR.

Tuum imperare eſt; exequi juſſa eſt meum,
Rex magne.

PHARAO.

Placidus ergo Joſephum annues,
Ultroque veteres tu mihi odiorum immemor
Donabis iras?

PUTIPHAR.

Majus obſequium exige,
Noſtra unde melius Principi conſtet fides.

PHARAO.

Rite augurabar id ego; nec quidquam minus
Sperare de te licuit.

AMASIS.

Hos animos pari
Studio æmulantur, quotquot Iſiacam colunt,
Quacumque patuit, Rege ſub tanto plagam.

PHARAO.

Nimis ô beatum ſorte Pharaonem ſua,
Utriuſque ſimiles forte ſi multos queat
Numerare amicos!.. Pergite hoc animo, hac fide
Regem tueri; lubrico rerum in loco
Verſamur.

AMASIS.

Iſte, quantus in venis micat,
Optet profundi ſanguis, hoc pretio bene
Redempta, Regis conſtet, & regni ſalus.

PHARAO.

Amica diras numina avertant vices!
Aſt ægra toti quæ lues regno imminet,
Ne quid nocere valeat, hic nobis labor
Incumbit. Ecquis porro funeſtum arceat,
Reparetve melius, quod trahet damnum fames,
Quam qui ſagaci mente prævidit malum,

Et quâ cavendum, providus pariter docet?
His deinde manibus, ſpero, credantur bene
Jus & poteſtas regia, & poſitus loco
Sublimiore, latius vigiles ferat
Joſephus oculos.

AMASIS.

Quod tibi acceptus placet,
Regiſque talem meruit arbitrio gradum,
Magnus vel iſta laude Joſephus ſatis.
At tantus ut ſit; extero numquid viro
Imperii habenas rite commiſſas putent
Populi? Paratos, credis, ac dociles regi
Inveniat ille, cujus obſcurum genus
Nomenque, dudum & carcere in cæco fides
Culpata meritò jacuit? Ah! noſti indolem
Moreſque gentis hujus! ut refugit jugum!
Ut ſuſpicaces facilis admittat metus!
Si quid mereri potuit Ægypto bonus
Interpres; eſt hic quo viri ingenium ſagax
Penſare liceat: triſte ſervitium eripe,
Vincliſque per te liber excuſſis eat;
Aut ſi quid ultra proſpero rerum exitu
Elatus ambit, adde pretioſas opes,

Interque Próceres annue inſignem locum;
Feremus ultro, nullus impenſum male
Munus dolebit; rebus at lætis modum
Teneat, rudeſque temperet ſceptris manus.

PHARAO.

Aſt grande Phariis interim terris malum
Impendet; & ni protinus morbo obviam
Eatur, ecquis deinde medicinam ferat?

PUTIPHAR.

Ergone Proceres aula tam nullos habet;
Obire tales rite qui partes queant?
Aut credis unum muneri tanto parem,
Quem, parce, ſi quid forte liberius loquar;
Decuit perenni carcere abſtruſum mori?

PHARAO.

Sic uſque fervet pectore írato dolor;
Extincta nec adhuc odia vindictam appetunt?

PUTIPHAR.

Non me ultionis cœcus incendit furor,
Ut reris: at me ſtimulat Ægypti ſalus.
Te prima ſpecies, video, devinxit viri:
Et ille nobis fucus illuſit quoque,
Fateor; modeſtum frontis ingenuæ decus,

Nativa labris gratia, eloquii nitor;
Dexter, ſagaxque rebus in agendis modus
Partes trahebant vel reluctantem in ſuas.
Mox & mearum dominus ac rerum arbiter,
Totam regebat unus imperio domum:
Tam luſit oculos integra in ſpeciem fides
Animiſque pulchram turpibus faciem induit!
Patuere tandem ſubdolæ mentis doli,
Et quod maligno corde verſabat nefas.
Gratare Superis, Putiphar, ſociam tori
Nactus pudicam! quale luctifica in domo,
Niſi obſtitiſſet Ephea, vidiſſes probrum!
Memorare plura deſino: hinc demum æſtima,
Cui tu ſalutem credere Ægypti pares.

SCENA QVINTA.

PHARAO, PUTIPHAR, AMASIS, PSAMMIS.

PSAMMIS.

SIluiſſe Divos tamdiu oratos piget;
Nunc ora ſolvunt.

PHARAO.

Quale reſponſum refers?

PSAMMIS.

Heu! triſte, dirum, flebile, inviſum, horridum,
Viſiſque gravius aliquid oſtentis canunt!

PHARAO.

Effare, quid id eſt?

PSAMMIS.

Vota dum facimus Deis,
Araſque circum rurſus inſtamus prece;

En triſtis aures feriit attonitas ſonus,
Trepidaſque mentes anxio implevit metu.
Peregrinum amico Memphis in gremio fovet
Ignara monſtrum; ſoſpes ut perſtet diu,
Procul inde Pharii pellat exitium ſoli.

PHARAO.

Alia rogantur, alia reſpondent Dei.

PSAMMIS.

Quodcumque tandem nuncient, memori excipe
Animo Deorum munus, & grates habe.

PHARAO.

Nec agere meritis gratiam acceptis parem
Me pigeat unquam.... Quæ tamen ſero venit;
Ambigua potuit eſſe reſponſi fides.

PSAMMIS.

Decuit averi triſte, vel ſerò malum.

PHARAO.

Bene eſt; quieſce Pſammi, quocumque exigunt
Sollicita Divûm monita, ponemus loco.

SCENA SEXTA.

PHARAO, PUTIPHAR, AMASIS, PSAMMIS, MILITES.

MILES.

PERFUSA lacrymis Ephea pro foribus gemit,
Regiſque ſupplex poſcit affatum dari.

PHARAO.

Quot ſtructa in unum tela quatiuntur virum!
Ad Militem. *Redeat in ædes Ephea; mox adero. Interim
Ad Amaſim & Putiphar. *Abite; dicta ſedulo expendam omnia,
Veſtriſque dabitur æqua conſiliis mora.
Ad aliū Militem. *Dum redeo, mihi tu quære Joſephum ocyus.

Finis Actûs quarti.

ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

PHARAO, JOSEPHUS.

PHARAO.

METUS omnis abſit: ſedulo expendi omnia,
Joſephe: ſenſi te quibus ſtimulis petat
Incenſa mulier: lacrymis, gemitu, prece,
Irata, ſupplex, impotens fruſtra inſtitit.
Te ſcelere ab omni purum & inſontem reor;
Quodcumque jactet Ephea; vel ſi quod nefas
Olim excidiſſet fors tibi, elueres ſatis,
Dum grande regnis, dum mihi officium exhibes.

JOSEPHUS.

Ergone inuſtam ſceleris invidiam mali

Nequeam amovere penitus? Æternum invoco,
Teſtorque, tua qui fata recluſit, Deum:
Si quando vetitas pectus hoc ſenſit faces,
Cœcumve furere vulnus in venis tulit!
Ah! ſi qua noſtri meruit obſequii fides
Placuiſſe; ſi quid ſupplicii indulges bonus,
Unum id precabor, unum id exorem ſine.
Da ſceleris expers credar, & facti innocens
Abominandi; quidquid ulterius paras
Adjicere, Princeps; ſpem ſuper votum & dabis,
Onuſque vires forte quod vincat meas.

PHARAO.

Abſiſte: plura deinde nequidquam adderes,
Joſephe: patuit animus & conſtat fides.
Atenim quid in te mulier impatiens furit?
Iras vel unde ſuſcitat tantas dolor?

JOSEPHUS.

Iſthæc ſilere potius æternum, precor,
Rex magne, liceat: hoc mihi fuerit ſatis,
Si, quem reducti cordis inſpector Deus
Abſolvit, hunc tu pariter inſontem putes.

PHARAO.

Bene eſt : amicam laudo, Joſephe, indolem,
Et quærere ultra parco, quod vereor malum.
Jam gravior inſtat cura, tu mentem adjice,
Ultroque Regem cardine hoc rerum adjuva.

JOSEPHUS.

Impendere animam poſſim, & accepto parem
Referre meritis gratiam ! Quidquid ſinu
Fervet ſub iſto, quidquid in venis fluit,
Totus profundi ſanguis hic pro te ambiat !

SCENA SECUNDA.

PHARAO, JOSEPHUS, AMASIS.

PHARAO.

Quid eſt, Amaſi ? quid mihi præceps gradus,
Multuſque vultu qui ſedet pallor, canit ?
Age, quid moraris ?

AMASIS.

Ephea....

PHARAO.

Dixi jam, domì
Se teneat; iram & premere, ſi potis eſt, gravem
Pertentet.

AMASIS.

Animus neſcit impatiens modum.
Tota vagatur regia indocilis regi,
Et cuncta latè perſonat planctu loca;
Unum, furentis more, Joſephum ciens.
Animi æſtuantis impetus, viſque effera,
Niſi temperetur arte, funeſtum imminet,
Quod nec fateri lingua ſuſtineat malum.

PHARAO.

Brevis ille furor eſt, ipſa ſperatam mora
Feret medelam; ne tamen ſola interim
Sibi relicta mulier inſolitum audeat
Facinus, cavete ſedulo; huc regni ocyus
Exinde Proceres conſilî in partem voca.

SCENA TERTIA.

PHARAO, JOSEPHUS.

PHARAO.

Quo non libido cœca vindictæ rapit
Animum impotentis feminæ!

JOSEPHUS.

Atteſtor polum
Iterum iterumque, ſi quid admiſi nocens,
Quod ſuſcitaſſe tot mihi furias queat!
Tamen innocentis ſanguine immitis furor
Placetur! haud me terreat leti genus,
Dum nulla ſceleris culpa pereuntem gravet.

PHARAO.

Ne te furentis cura ſollicitum premat.
Agnoſco: meruit Ephea, quod patitur malum,
Suo dolore digna. Tu præſens opem
Dubiiſque amicam commoda in rebus manum.
Tibi ſalutem credit Ægyptus ſuam,
Joſephe; diram averte quam regnis famem
Cœlum minatur. Nil moror: qua, qua patet

Niliaca late regio, te dominum velim
Nutus ad omnes docilis obſequio colat.
Jus regis omne te penes: cuncta ut lubet,
Moderare: quotquot aula Magnates habet,
Uno minorem Rege Joſephum ſcient.

JOSEPHUS.

Ah! merita, Princeps, tantus excedit favor.
Noſtram probari ſi fidem obſequio placet;
Nihil repugno; quod voles cumque, impera;
Adſum paratus: onere ſed tali, precor,
Humeros gravare parce: quid poſſim ſcio.
Infirma virtus mole ſub iniqua labet.
En una quantos Memphis oſtentat viros,
Qui rerum habenas haud rudi tractent manu;
Notamque Phariis arceant terris luem.

PHARAO.

Quid mens futuri conſcia, atque animus ſagax
Præſtare regnis poſſit; haud dubiis licet
Conjicere ſignis. Ipſe, quam monſtras viam,
Aggredere: cunctis præfice attentos locis
Rerum adminiſtros, qui bona meſſe, horrea,
Benigna largas dum dabit tellus opes,
Onerare curent; interim clauſus gradu

Sublimiori, ſedulo circum omnia
Spectabis oculo melius, & amicam feres,
Quam quiſque poſcet, rebus anguſtis manum.

JOSEPHUS.

Ah! ſi qua, Princeps, liceat ulterius loqui,
Attende....

PHARAO.

Plures adjicis fruſtra moras.
Ratum eſt: amoris pignus hoc noſtri cape,
Animique grati munus. Atque utinam foret
Rependere aliquid Pharao quod majus queat!

JOSEPHUS.

An non repenſum eſt jam ſatis? Per te neci,
Vincliſque & atro carceri ereptus, fruor
Dono beatæ lucis....

SCENA QUARTA.

PHARAO, JOSEPHUS, RAMESSES.

RAMESSES.

O ſortem aſperam!

Rex magne!

PHARAO.

Quid ais? fare: quid dirum occinis?

RAMESSES.

Heu! vixit Ephea!

PHARAO.

Vixit? ô Superum fidem!

JOSEPHUS.

O Deus!

RAMESSES.

In altos mulier indocilis ſinus

Letale ferrum propria armavit manu.

PHARAO.

Ergo fidelis nullus excubitor fuit,

Animi furentis qui coërcere impetum

Poſſet?

Suorum luſit attentos metus;
Dum ſaniora mente placata excipit
Conſilia, & iræ fervidos motus premit.
Mox ſibi relictus atque ſopitus male,
Veluti revulſis rupit objicibus furor;
Nec intus ultra ſe capit; fruſtra advolat
Amica comitum turba, & infeſtam cupit
Arcere dextram; jam fluit latis cruor
Rivis per altum vulnus, & gremium inficit:
Fit clamor ingens... Hæc puellarum in manus
Revoluta, dulcem pertinax ferri abnegat
Plagæ medelam; pectore aſt ægro trahens
Gemitus, in iſtos ivit exſpirans ſonos.
Abſiſtite: æquas merita perpetior vices,
Læſique dignas exigit pœnas Deus
Vindex puderis! Credulus nimium audiat;
Meumque tandem Putiphar diſcat ſcelus.
Infida morior; falſa memoravi, & nefas;
Quod ipſa demens pectore impuro hauſeram;
Mentita finxi: ſcelere Joſephus vacat:
Pudicus, inſons, debita inceſta luit
Supplicia. Recipe quam tibi famam abſtuli;

Joſephe : inuſtam ſanguis hic labem eluet.
Hæc fata ſiluit. Mox ſubit pallor genas,
Oculoſque inertes condit æternùm ſopor.

PHARAO.

O tu piorum quiſquis es tutor Deus!
Agnoſco ſupplex numen, & meritas volens
Grates rependo! Tuque tot paſſus mala
Immeritus, ecquod inde ſolamen feres,
Joſephe?

JOSEPHUS.

Nimis ah! grande ſolamen fero,
Rex magne; quando per tot ærumnas graves
Meruiſſe de te licuit! Et ſiquidem Deus,
Deus ille, ſolo cuncta qui nutu regit,
Ut ſtaret iſto voluit Ægypti ſalus
Redempta pretio; carceris tetro in ſitu;
Duro gravatum pondere ingratos juvat
Traxiſſe ſoles: proximos leti juvat
Subiiſſe caſus: fas nec deinde aſpera
Tentare rurſum pigeat, & certæ caput
Offerre morti; cum ſtatus regni petet,
Aut juſſa promptum regia obſequium exigent,

PHARAO.

Gratare Superis, Patria, & talem virum
Sortita, juſtos pone qui te angunt metus.
Et tu futurus dulce præſidium imperî,
Joſephe; dignos recipe, quos pudor & fides
Meruere fructus. Livor incaſſum malus
Poſthac honoris debitum invideat gradum.

RAMESSES.

En prodit ipſe Putiphar; quantus ſedet
In ore luctus!

SCENA QUINTA.

PHARAO, JOSEPHUS, RAMESSES, PUTIPHAR, APRIES.

PUTIPHAR.

Genibus allapſum vides:
Nec dura meritum fata: miſereſce, obſecro,
Infida conjux credulum illuſit virum,
Totumque fecit ipſa, quod finxit nefas,

PHARAO.

Aſſurge; iniquas doleo quas pateris vices?
Nec ipſe flecti rigidus, irarum aut memor
Joſephus; æquis cernet hæc oculis mala.

PUTIPHAR.

Itane eſt? mihi te poſſe placari rear?
Ah! ſi quis unquam neſcius fuci dolor,
Eluere culpam potuit; atteſtor Deos,
Quos nil ſub imo pectore aſtruſum latet:
Feciſſe quantum doleat! Hos gemitus cape,
Lacrymaſque teſtes. Solita ſi tecum eſt adhuc,
Vir Magne, pietas, ſupplici veniam irroga.
Patrem, adjuva tu, Nate.

APRIES *procumbens ad Joſephi genua.*

Per ſi quid fuit
Tibi dulce noſtrum, perque ſinceram, precor,
Quam tu probaſti rebus in dubiis fidem,
Ignoſce patri.

JOSEPHUS.

Tu mea ulterius cave
Dolere quidquam gratia: atque utinam tibi
Quæ reſtat alia, me penes ſegetem foret
Eripere luctus; quidquid in noſtrum caput
Peccaſſe

Peccaſſe potis es, crimen erroris fuit;
Aſt animus ipſe crimine, & culpa vacat.
Tu care juvenis, cujus in miſerum favor,
Conſtanſque pietas tempore adverſo ſtetit,
Ecquando amoris præmium tanti feres?

PHARAO.

Ut iſta virtus, ut mihi veteres placet
Oblitus iras animus! Æternum juvat
Adjicere pacis vinculum, & blando fidem
Sociare nexu. Regia oblatam manu
Putipharis ultro filiam in ſponſam cape,
Joſephe: tali dignior conjux viro
Obtingere ulla nequeat.

PUTIPHAR.

Ah! ſi quid ſuper
Flammæ prioris, tota ſi nondum excidit
Animo Aſſenetha, patris & gnatæ preces,
Tuoque juſſa Regis aſſenſu proba.

APRIES.

Didiceris utinam, quam graves dederis metus;
Quæ vota pro te faceret infelix ſoror,
Dum dulce quateret dira tempeſtas caput.

JOSEPHUS.

Obſequor; amanti gravius imperium nequit
Princeps videri.

PHARAO.

Vota ſic cumulat Deus!
Ergo Aſſenetha pectus utrinque alliget
Nexu perenni, pignore hoc dulci gener,
Socerque coëant. Ipſe quod reliquum eſt, novas
Amoris hinc & inde ſubjiciam faces.

RAMESSES.

Proceres vocatos numquid admitti placet?

SCENA SEXTA.

PHARAO, JOSEPHUS, PUTIPHAR, APRIES, AMASIS, RAMESSES, PSAMMIS, SETHO, PROCERES ÆGYPTI.

PHARAO.

ADESTE Proceres, voſque Niliaci procul

Orbis jacentes quotquot incolitis plagas ,
Mea dicta memores capite. Spectatum reor,
Quid iniqua toti Numina Ægypto parent.
Tamen medela non caret certa malum ,
Et triſte melior vincet exitium ſalus.
Tu , Memphi , noris unde ſecuram potes
Tibi polliceri rebus in miſeris opem.
Agnoſce Phariis ſupplici cultu caput
Populis verendum : qui malam vidit luem,
Idem ille , fata quæ feret ſecum aſpera ,
Prævertet. Ergo tu , precor , mecum imperî ,
Joſephe , habenas flecte:neve habilem manum
Mihi commodare pigeat : en ſe ſe exhibet
Tibi obſequentem tota, quam latè patet,
Ægyptus ; agedum , cuncta moderare ut voles ,
Rerumque dominus omnium ac regni arbiter
In urbe, in aula, ſtatue quem noris modum
Arcere triſtes poſſe fatorum minas.
En hic tibi , quem trado geſtandum manu ,
Meus docebit annulus quo ſtes loco ,
Gradum aſſecutus pæne regali parem.
Mox velet humeros purpuræ nitidum decus

Aurique meritum circulus collum ambiat.
Hoc apparatu, regium ſcande ocyus,
Joſephe, currum: populus impatiens fremit,
Dominoque geſtit plaudere Ægyptus ſuo.
Præite, Proceres; debitam obſequii fidem
Jurate.

JOSEPHUS.

Quales muneris tanti memor
Grates rependam?

PHARAO.

Quem ferent cultum excipe;
Dum ſoſpitalem gratulor ſponſæ diem,
Et amica porto nuncia; huc genitor comes,
Et natus adſit.

SCENA ULTIMA.

JOSEPHUS, AMASIS, RAMESSES, PSAMMIS,
SETHO, PROCERES.

RAMESSES.

Primus ad genua accido,
Prorex verende.

JOSEPHUS.

Quid agis ? in gremium involа,
Tenerоſque amici potius amplexus cape.
Dudum ah! Rameſſe, pectori fixa intimo
Tam blanda pietas vivet! hoc totum eſt tuum,
Quod ſpiro; tu me mortis ereptum ſinu
Læto dediſti lucis aſpectu frui.

SETHO.

Et patere, ſacros teneat amplexu pedes,
Tuus ille cuſtos quondam & exactor nimis
Forſan ſeverus.

JOSEPHUS.

Iſtud ingratus querar,
Amice Setho; gratiæ impenſum ſatis,
Ut nulla me me videat immemorem dies.

AMASIS.

Spes hæc Amaſim ſola ſuſtentat; tibi
Quod mite pectus, & quod offenſas bonus
Ignoſcis ultro.

JOSEPHUS.

Nequid ulterius dole,
Amaſi, cùm res tulerit, expertus ſcies,
Quis animus in te noſter.

AMASIS.

Hoc unum placet
Genus ultionis ? odia ſic penſas memor ?

PSAMMIS.

Me vana, fateor, cura, me patrius Deûm
Cultus fefellit; noſtra nil in te fides,
Nil peccat animus.

JOSEPHUS.

Diſcere hinc ſaltem potes,
Quam cœca Divum numina Ægyptus colat.
Ille, ille terris pariter ac cælo Deus,
Cujus tremendo numini Abrahamidæ ſacrant
Meritos honores; ſolus hic dignus coli eſt,
Dignus & amari ſolus. O falſos precor
Dedocta ritus quondam; & acceptæ memor
Salutis, unum hunc ſtudeat obſequio pari
Ægyptus ævum in omne venerari Deum!

Finis Actûs quinti & ultimi.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA